seditionem paratum animum res est magni periculi, exemplique pessimi, tum quia similia consilia facile suscitat in iis, qui forte nihil ejusmodi cogitabant, tum quia illis, qui cogitabant, addit audaciam, qua exequantur id, quod minime erant executuri, nisi ejus criminis, quod nemo audet aggredi solus, adjutores, sociosque sibi intellexissent futuros. Cogitationes igitur tales, quæ innotescunt adeo periculosæ, non sunt porro ex genere earum, quas malas quidem, at noxa vacuas Ulpianus vult esse impunitas.

Caput 4.^m

De Actione interna

§ 13.

Qualis actio interna crimini detur.

Dolo vero contrahi delicta nemo est, qui dubitet Lege Placuit § Placuit 7 Instit. de furtis. Lege Illud 3. § sane 1.° ff. de injuriis. Dolo illum delinquere ajo, qui habet criminis, quod admittit, conscientiam: qui nimirum noscens tum legem, tum, quæ legi repugnat, naturam actionis, aut omissionis, quam meditatur, nihilominus contra legem libere, aut omittit, aut facit. In quo agendi modo patet inesse justissimam causam reprehensionis, germanamque delicti indolem.

At interdum male agit homo non male, sed falso conscius, quia vel ignorat legem, quam contra facit, vel minime animadvertit, quod facit, id legi esse contrarium. Quæ ignorantia, qui error si contigit per neglectionem, non dolo ille quidem dicetur deliquisse, sed culpa: deliquisse dicetur tamen, quia vituperandum sine dubio est, pœnaque dignum in re gravi, inque alienam perniciem fuisse socordem Lege Si fermento 11. ff. de incendio, ruina, naufragio. Lege 3. § 3. § Cognoscit 1.° ff. de officio præfecti vigilum. L. 3. § Adjectio 1., L. 4. ff. ad Legem Corneliam de sicariis. Quoniam vero multo pejor est improbitas ejus, qui delinquit dolo, quam imprudentia ejus, qui delinquit culpa, hinc illa dicuntur speciatim, propriaque delicta seu delicta vera, hæc quasi delicta, seu delictis similia; non illa quidem severius, hæc mitius puniuntur. L. Qui ædes 9. ff. de incendio L. L. Milites 12. ff. de custodia, et exhibitione reorum L. Fere 108. ff. de regulis juris. Antonius Mattheus prolegomenorum cap. 1.° num. 1.° prope finem et in librum 48. titulo 18 digestorum num. 11. Ad istam autem pœnæ diversitatem dicit referri id, quod habemus in Lege 7. in principio ff. ad Legem Corneliam de Sicariis: videlicet = Nec in hac lege (Lege,

inquam cornelia de sicariis culpa lata pro dolo accipitur =.

§ 14.

De dolo

Dolus graeca vox est, atque in virtutem non minus, quam in vitium prodit; idcirco in Edicto, quod illum ad coercendum edidit = Non fuit contentus praetor dolum dicere, sed adjecit malum; quoniam veteres dolum etiam bonum dicebant, et pro solertia hoc nomen accipiebant: Maxime si adversus hostem latronemve quis machinetur = l. 1.a § non fuit 3o ff. de dolo malo. In eadem sane lege l.a § Dolum 2o. Ulpianus dolum malum ex Labeone definit = Omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam = in eaque intelligentia dolus parum, aut nihil differt a fraude. Verumtamen hoc loco nos dolum accipimus pro malo proposito ejus, qui deliquit sciens, prudens.

§ 15.

Quaenam doli partitiones.

Usitata porro apud rerum criminalium scriptores illa divisio, ut sit dolus aut verus, aut praesumptus. Utraja institutionum criminalium

lib. 1o tit. 3o Et enim ex [illegible] dividitur dolus, qui si est, semper est verus. Dividuntur potius modi, quibus volumus in doli notitiam: qui ubi sunt apertiores, dicuntur evincere dolum verum; ubi autem constant probabilibus tantum indiciis, et conjecturis, dicuntur efficere dolum praesumptum. Antonius Matthaeus in librum 48.m titulo 18. Digestorum cap. 1o num. 10. Quamquam utrum in dolo fuerit, ni duntaxat, qui fuit, physice potest innotescere, cum id sit internum. Ideo autem internum totum et animi latebris ita palam erumpit, ut pro certo, verique dolo valeat haberi. Nihilominus ineluctabilis criminum coercendorum necessitas effecit, satis ad puniendum ostendere dolum vel praesumptum; illum nempe, qui eruitur ex ipsa affectione criminum.

Rectius, et ad rem aptius dolum tribues in plenum, et minus plenum. Pleno in dolo versatur mens, cum tranquilla ipsa sibi proponit delinquere: nam quando ruit in crimen acta quin cupiditatum et affectionum, tantum porro decrescit dolus, quantum cedit vicissim vis perturbationum ejusmodi. Flagitiorum prius illud genus appello nequitiam, caetera impetum affectuum.

§ 16.

De Culpa, ejusque gradibus.

Culpam non sicut interdum solet, hic accipimus pro peccato; sed pro omissione diligentiæ: qui sensus est frequentissimus apud jurisconsultos. Voluntaria res est culpa, quia voluntarium, planeque liberum adhibere, nec ne, diligentiam: et quemadmodum qui dolo agit, in delicto est, quia voluit nocere; ita qui agit culpa, est quasi in delicto, est prorsus in vitio, quia si non ipsam rem noxiam, at voluit indulgere desidiæ, ex qua noxia res orta est.

Tralatitium est et diligentia triplex enumeratur, maxima, media, et minima. Minima est id cavere, quod cavent homines fere omnes non singulariter oscitantes: media est, quam communiter adhibent, qui dicuntur patresfamilias frugi, et industrii: Maxima est tantummodo hominum solertissimorum. Quibus est consentaneum, prout iisdem distinguantur culpæ gradus: nam culpa minima, seu levissima in maxima; culpa levis (hæc solet culpa nullo alio adjecto verbo vocari in libris juris) culpa, inquam levis in media; culpa tandem maxima, aut lata, quæ eadem crassa appellatur, supina, et dissoluta, talis porro culpa est in minima diligentia omittenda. Vinnius Institutionum lib. 3° tit. 15°

§ Item 3° num. 7° et sequentibus. Exemplum culpæ latæ habes in eo, qui noctu aditum atrii, aut fenestras illas, quæ intrari de plano poterant, reliquit apertas. Habes exemplum culpæ levis in illo, qui similiter per noctem sivit patere fenestras non de plano quidem intrandas, at parvis admotione scalarum. Nam si quis forte fenestras respicientes in publicum, et a quibus procul dormit familia non præparata munivit ferreis palis, pessulisque, hic omisit id, quod solertissimus vir non erat omissurus, ideoque non caret culpa levissima.

Quidquid contigit culpa levissima instar delicti nec habetur, nec haberi debet: quandoquidem non est æquum, et est præpostera contra rationem, indicta pœna, exigi ab universis civibus summam eam diligentiam, quæ propria est perpaucorum: præsertim cum eo felicissimo, maximeque vigili ingenio non adeo multos edidit in lucem natura. Non est contrarium, quod legitur = In lege Aquilia et levissima culpa venit = lege in lege 44ª ff. ad legem Aquiliam. Siquidem constat, aquiliam legem spectare potissimum non ad facinoris animadversionem, aut pœnam; verum ad reparationem damni injuste illati: in quo potior esse debet causa illius, qui damnum cepit, quam qui dedit: quoniam in illo nulla ratio est, cur

debeat pati; in hoc autem, cur praestare debeat, est ratio aliqua, si culpa ejus aliqua est, quemadmodum Consplura Vinnius Institutionum titulo de lege Aquilia § impu-tu 8° vers. Afferuntur.

§ 17.

De Casu,

et utrum illo, et quando excusemur.

Quae noxia contingunt nullius, neque consilio, aut dolo, neque culpa, aut neglectione dicuntur contigisse a fortuna, quam Deam ipsa ministram prosperorum adversorumque eventuum fabulati sunt veteres. Idcirco eventus tales appellavere fortuitos; appellaverunt et casus quia ea veluti sponte cadunt, sive incidunt, nulla adjutrice opera, prudentiaque humana. Casus est, qui praevideri non potest, aut cui praeviso non potest resisti L. Tutoribus 4.ª Cod. de periculo tutor. id quod indicant Jurisconsulti, atque leges, dum ipsi eos dicunt casus majores; tum fatum, aut damnum fatale; tum fortunae, et majorem vim; L. 1.ª § et ille 4. ff. de obligationibus, et actionibus. Nam si licuit praevidere, ac resistere, non tam fortunae id, quod accidit, dandum erit, quam imprudentiae, desidiaeque

ejus, qui non praevidit, restititque.

Criminosa, quae accidunt casu, neminem poenae, nullique prorsus obligationi subjiciunt, quia vero non sunt criminosa, quia prorsus carent omni malefacti nota, dum carent dolo, culpaque omni; quae solam possent juste reprehendere § 12. v. 1. § 13. v. 2. Hoc tamen accipe de casu mero, non iisdem si culpa aliqua aut illi causam praebuerit, aut illi causam praebuerit, aut cum fuerit comitata: At si casus inciderit te dantem operam rebus illicitis, aut licitis quidem, sed importuno seu loco, seu tempore Instit. tit. de lege Aquilia § 3. ad 8. Id intelligi potest in illo, qui dum jaciendis jaculis exercebat se, hominem forte transeuntem transfixit: Nam si id miles si evenerit in campo ad exercitationem destinato, immunis est: sin ei, qui aut miles non erat, aut studio illi operam debat in loco insolito, et minus legittimo, non

erit id sine culpa, culpæque luendæ obligatione Instit. dicto tit. § Itaque 4°, Vinnius ibidem num. 2°.

Caput 5.^m

De Actione Externa

§ 18.

Quid sit conamen delinquendi.

Criminosa actio interna, seu nefaria cogitatio interdum in animo ipso, in quo nata est, moritur nunquam manifestata: id quod est indicio haud veram, plenam, constantemque fuisse deliberationem voluntatis: interdum prodit foras per facta, aut verba, quæ non tam pertineant ad malæ cogitationis demonstrationem (id quod nudæ cogitationis limites haud prægrederentur) quam ad ipsam effectionem ejus, quod nefarie fuit cogitatum. Ea autem res potest contingere vel plene, vel minus plene. Plene, si externa actio mala habuit effectum: minus plene, si non habuit. Illud enimvero delictum, seu delictum perfectum: istud nuncupatur conamen delinquendi.

§ 19.

Conamen delinquendi utrum debeat numerari in delictis.

In delicti conatu inest malitia cogitandi: inest et audacia exequendi: quod si effectus deest, non deest tamen damnum publicum, sive malum exemplum ab illo editum, qui fuit conatus nefaria, et ita discessit a legum reverentia. Cum igitur in conatis delictis habeamus rem tum vituperabilem, tum publice noxiam, non est dubium, quin habeamus naturam, vimque delicti, quod semper est, ubicumque malitia agentis conjuncta est cum pernicie publica (§ 9. 10. 11.).

§ 20.

De metienda conatuum malitia, deque conatu proximo, aut remoto.

Delinquendi conamina omnia verissime criminosa, sed non omnium crimen æquale. Conantis malitia, et crimen majus minusve est, prout magis minusve ille fuit progressus in conando. Hinc dividi conatus solet in remotum, inque proximum. Qui occidendi inimici causa tantum cum telo ambulavit, videbitur quidem versatus in conatu remoto: at contra erit in proximo, qui projecta in inimicum obvium stringit pugionem, eumque adorsus est. Conamen quippe